



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

In Eadem Nativitate S. Joannis Bapt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

## In Eadem Nativitate S. Joannis.

**P**Leraque contraria in Joannis Nativitate, evenerunt his quæ facta sunt in Nativitate Christi. In hac exultant Angeli, pastores pervigilant, Magi veniunt, stella præcedit, &c. In illa Zacharias obmurescit, Elisabeth absconditur, &c. Utique Joannes *erat lucerna*, quid tenebræ inducuntur? Erat lucerna, sed cum Sol oritur illa seponitur, verum Joannes nunquam magis lucet quam dum absconditur. Dum Joannes esset in propatulo, erat propheta Altissimi, dum absconditur *est plus quam propheta*. Nam in terra Messiam digito ostendit, mox sub terra Patribus eundem indicaturus jam morti proximus, mittit ad Christum. *Tu ne es qui venturus es?* &c. Sciebat bene hunc esse illum, quid ergo quærit? Greg. hom. 6. *Hoc, an etiam ad inferos descendere dignaberis? insinua.* Respondit illi Christus obscure sed ita ut ille caperet. *Beatus qui non fuerit scandalisatus in me.* 1. Cor. 1. *Nos prædicamus Christum crucifixum Judæis scandalum,* Greg. 1. c. *Quid ergo est dicere, Beatus qui non fuerit, &c. Nisi aperta voce abjectionem mortis suæ humilitatemque signare?* Ex quo etiam collegit animam Christi ad inferos descensuram, quia sciebat quod esset descensura, si Christus esset mortuus, cum isto nuntio prævenit Joannes ad inferos, & Patres velut lucerna illuminavit, quantum ibi gaudium? Adam diutissime penam peccati primi sustinuit, scilicet limbum, & quò aliquis ab illo remotus, breviori tempore illam passus; venit tandem Christus & has tenebras penitus abstulit, ut possimus nullo tempore post mortem perferre privationem visionis DEI, si ipsi voluerimus. Ne tamen Joannem quis putaret esse Messiam ipse se abscondit. *Non sum dignus solvere corrigiam calcamenti ejus.* Messias habebat sponsam Ecclesiam. Greg. hom. 7. *Mos*  
apud

apud veteres fuit, ut patet ex Levit. Si quis eam qua sibi compereret uxorem noller, illo ei calceamentum solveret, qui ad hanc sponsus iure propinquitatis veniret. Joannes ergo, non est meum Sponsam habere Ecclesiam, atque ita non sum Messias. Ego Redemptoris nostri vestigia denudare non valeo, quia sponsi mihi nomen immerito non usurpo. Greg. l. c. Ita latuit, sed interea & apud Judæos & apud Gentes reluxit, nam etiam modò à Turcis æstimatur, & hoc indicatur per illud, quia mel sylvestre & locustas comedit: ita enim hoc ipsum Christo applicando explicat Greg. in Job. Moralium 31. c. 12. Dominus quia infructuosa Gentilitatis dulcedinem sumpsit, mel sylvestre edit: quia verò Judæorum plebem in suo corpore ex parte convertit, locustas accepit, subitos saltus dantes, sed statim ad terram cadentes. Abscondit se in carcere Herodis, sed ut Chrysof. apud Barelet. Non opponas mihi Evangelistam inter ceteros magis dilectum, non Apostolorum Principem omnibus aliis antelatum, non vas electionis ad cæli tertii secreta translatum, nec Apostolicus splendor audeat occurrere Præcessori. Considera mansiones regni, & ordinem humane generationis obambula, solumque Joannem tum novis tum veteribus videbis præpositum. Nascitur Puer, & Ecclesia dicit. Elisabeth magnum virum genuit. Chrysol. ferm. 89. Joannes natus est ut nato in terris DEO suus Angelus non deesset.

### In Ascensione Domini,

**C**UM Christus ascenderet, meritò admirabantur discipuli. Quia viderunt Corpus Christi naturâ grave vehi nube, quæ est solum vapor aquæ aut terræ halitus. Videbant Angelos adstantes, cælos aperiri. Prov. 30. dixit Salomon. *Tria mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo. Hoc est, dum velut Aquila suis viribus ascendit Christus. Viam navis in medio maris, dum passionis rubrum mare enavigaret. Vi-*

H

am co-